Dis.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

# GENVINA FEBRES CONTINVAS CVRANDI RATIONE IN VNIVERSVM

QVAM

DIVINA ANNVENTE GRATIA

*PRAESIDE*

CAROLO FRIDERICO KALTSCHMIED

*Philosophiae et Medicinae Doctore*

*Serenissimi Ducis Saxo-Vinariensis et Isenacensis Consiliar. Intimo Cameralium, Serenissimi Marchion. Brandenb. Culmbac. et Serenissimi Landgr. Hasso-Darmstad. Consil. Aulic. et Medic. Anatomiae, Chirurgiae et Botanic. Professore Public. Ordinar. Comit. Palatino Caesar. Acad. Imp. Naturae Curiosor. Collega, Acad. Elector. Moguntin. Scientiar. vtilium Adsessore, Societ. Elegant. et Sublim. Teut. Ienens. Inspectore, Physico Prouinc. Ienens. Facultatis Medicae Seniore*

*Patrono ac Praeceptore omni pietatis cultu venerando*

PRO GRADV DOCTORIS

OBTINENDO

ERVDITORVM OFFERT DISQVISITIONI

*AVCTOR*

IOANNES CONRAD DENCKER, *Nordhus.*

DIE VI. SEPT. CIↃ IↃ CC LX.

IENAE EX OFFICINA MARGGRAFIANA.

*DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA*

DE

# GENVINA FEBRES CONTINVAS CVRANDI RATIONE IN VNIVERSVM.

---

§. I.

In vnoquoque morbo, quoniam cum certitudine vera quid faciendum ſit omittendumque, iudicari non poteſt, niſi, vnde ortum ducat, comprehenſum animo habemus atque inſignitum; depoſitis rebus leuioris momenti, niſi ad recta a prauis diſcriminanda facerent, a tradenda cauſſa exordiamur. Non laedendi fine: veri tantum reperiendi, ſalutisque tot hominum, quorum quidem numerus inſignis ratione medendi peruerſa iam exanimatur; iam diris illis ſymptomatibus cruciatur; iam lecto adfixus diu tenetur; iam alium in morbum coniicitur, promouendae gratia, diſputare animum induxi.

§. II.

Quid febris ſit? tanta ſunt in varietate ac diſſenſione doctiſſimi Medici, vt eorum moleſtum ſit dinumerare ſententias. Quid cauſſa porro? quo remouenda demum modo? de iis itidem tam variae ſunt eorum, tamque inter ſe diſſidentes ſententiae, vt, quod non ſatis explorate perſpectae ſint et cognitae, ſine vlla fere dubitatione poſſit defendi. Quidam enim Noſtratium, proximam continuae febris cauſſam pulſus eſſe velocitatem non dubitant, in intemperiem aliis eam coniicientibus. Acrimoniam porro acidam alii, alii oppoſitam, alcalicam puta, inculpant, et quae ſunt reliqua.

§. III.

Habito medelae reſpectu, ſunt atque fuerunt, qui iis, quae calorem inducunt, medicaminibus, febrim alunt, augent. Sunt autem alii, et hi quidem magni atque nobiles, qui, illud omnino reiicientes, attemperandae febri inhaerent, quid? quod multis ſenſi mirabile videri, tollendam ſuadent. Profecto! qui aliquid certi non habent, quo ſe vertant, neſciunt. Vel eos ipſos, qui ſe aliquid certi habere arbitrantur, addubitare coget doctiſſimorum Virorum de morbo vno omnium maxime obueniente, ſaepeque mortem minitante, tanta diſſenſio. Sed, ne vberius et fuſius diſputem; abiecta opinione praeiudicata omni, rem ipſam intuebor, quae ſit cauſſarum vera, quae genuina curandi ratio, inueſtigaturus.

§. IIII.

§. IIII.

Morbofum corporis aeftum; corporis ergo calorem a cauffa morbofa adauctum; febrim non effe, nec huius cauffam, iam inter omnes omnium Medicorum fententia conftat: eum vero continuam febrim ab initio vsque ad finem, fi prodromum febris a febri ipfa diftinguere libet, comitari, mecum vno quafi ore confitebuntur omnes. Aeftus ergo vna cum febre continua inuadens, ceffante illa euanefcit. Aeftus ergo morbofus continuae febris effectus eft isque arctiffimus. Itaque ab hoc arctiffimo eorum, qui ex illa progignuntur effectu, quum nec vlla inueftigandi veri cum certitudine via reliqua eft, me fcifcitari et febrim et cauffam oportet.

§. V.

Quum in febri continua calor auctus: calor vero in particularum ignearum motu confiftat; cogitur igneas partes vrgente ea natura magis agitari. Sed cum aliis quousque cohaerent, eousque agitari nequeunt. Ergo igneae partes febri onerante iufto magis feparentur eft neceffe. Atqui feparari igneae partes non poffunt, nifi feparans inter partes quibuscum cohaerent penetret, ficque illas a contactu diducat. Efficitur ergo vt cum feparatione ignearum, reliquarum, quae fanguinem componunt partium,

ſeparatio copuletur. Iam vero ſeparatio partium ſanguinem componentium, reſolutio audit eiusdem. Neceſſe igitur eſt, febri grauante continua ſanguinem plus iuſto reſolui.

§. VI.

Itaque in febre continua ſanguis plus iuſto reſoluitur; hinc motus partium ignearum maior; inde calor auctus excitatur (§. 5.). Verum is continuae febris decurſu ſtabilis permanens toti corpori inhaereſcit. Reſolutio ergo ſanguinis continuae febris decurſu ſemper et per totum corpus aucta eſt.

§. VII.

Morboſa ſanguinis totius reſolutione aucta, ſtabili ad euentum vsque permanente poſita; ſine interuentu cuiusdam cauſae alius ponitur *impotentia corporis calorem ſatis mitem conſeruandi* (§. 6.), *ſine interiecto tempore ad eventum vsque durans.* Sed talis impotentia *febris continua* eſt. Ergo morboſa ſanguinis totius reſolutione aucta ſtabili ad euentum vsque permanente, poſita, ponitur continua febris: Atqui cauſſa, qua poſita, ſine interuentu cuiusdam cauſſae alius morbus ponitur, adpellitatur proxima. *Proximam* ergo *continuae febris cauſſam, morboſam eſſe ſanguinis totius reſolutionem auctam,* non eſt quod dubitemus. *Realis* igitur *continuae febris* ſi deſideratur *definitio; morboſa erit ſanguinis to-*

*tius*

*tiut resolutio aucta, sine interiecto tempore ad euentum vsque durans.* Quas quidem definitiones in febrim acutam, qua continuam, itemtidem cadere, vix est vt moneam.

§. VIII.

A quibusdam febrim in vniuersum definitam ita video: *Febris est morbus intemperiei vniuersalis calidae cum pulsu mutato absque caussa manifesta per plures minimum horas durans.* Vt a mania, vtpote quae sub morbis intemperiei calidae vniuersalis sine febre tamen comprehendi creditur: vt porro a scorbuto calido, quippe qui etiam ex numero morborum intemperiei calidae vniuersalis habetur, ita tamen, vt a nullo Medicorum ad febrim referatur, discernant febrim; addunt: *cum pulsu mutato*, statuentes: non mutatum in iisdem pulsum reperiri. Hinc contra disputare quis posset: Vbi est impotentia corporis calorem satis mitem conseruandi, ibi est febris: Atqui in mania pariter atque scorbuto calido corporis adest impotentia calorem satis mitem conseruandi; Ergo in mania scorbutoque calido adest febris. Sed non adest febris. Ergo falsa suppeditata definitio est.

§. VIIII.

Quod pulsus mutatus characterem constituat, vi cuius, et a mania, et scorbuto calido, discernere febrim licet, nego atque pernego. Quum enim in vtrisque calor

auctus

auctus deprehendatur; rationis principiis repugnat: non mutatum in iisdem pulſum inueniri. Nam adauctus calor ortum duxit aut a ſanguinis aucto motu progreſſiuo; aut ab inteſtino aucto; aut ab vtroque ſimul. Sit a motu progreſſiuo aucto; et habebis pulſum auctum; pulſum ideoque mutatum. Sit ab inteſtino motu aucto; et habebis ſanguinem plus iuſto rarefactum; ſanguinem ergo plus iuſto in cor arteriasue agentem, quae, eam ob cauſſam ad velocius agendum impulſae, pulſum velociorem; pulſum ideoque mutatum efficient. Par erit ratio, ſi ab vtroque aucto originem trahere ſtatuatur.

## §. X.

Praeterea plane non video, quomodo hanc experientiam: *in mania et ſcorbuto* nimirum *pulſum non mutatum inueniri*, cum effato illo tantorum meritorum Viri, Perilluſtris BÜCHNERI, conciliare vellem. Etenim, *pulſus maniacorum*, inquit, *ordinarie eſt magnus, celer, durus et plenus* *). Et de ſcorbuto diſſerens, illa addit: *Pulſus eſt inaequalis, modo fortior, ſubdurus, modo debilior et tardus* **). Falſum inſuper eſt: quod mania ſit morbus intemperiei calidae ſine febri exſiſtens, ſeu vti ab iis, quae ducuntur a ſenſi-

*) vid. *Fundam. Eiusdem Sem.* p. 379. §. 5.

**) ibid. p. 430. §. 4.

ſenſibus, definitur: mania eſt delirium cum furore ſine febri. Audiatis enim LOMMIVM, *vt plurimum autem*, aientem, *hic morbus*, ſcilicet mania, *ſine febre eſt*, *tametſi ea quoque interdum accedere atro humore putreſcente ſolet* ***).

## §. XI.

Ad ſcorbutum quod attinet; dabo, et libenter quidem, ex febrium numero eum non eſſe. Sed ſcorbuto aut corporis acceſſit calor adauctus; aut non. Si prius; febris acceſſit: ſin poſterius; non item; id quod itemtidem valet de mania. Ne vero quis ex cerebro nata haec exiſtimet; audias GALENVM, ita, interprete CRASSO, dicentem: *Eſſentia vero febrium eſt*, *non ſecundum* HIPPOCRATEM *modo*, *atque praeclariſſimos medicos*, *ſed etiam ſecundum omnium hominum communem conſenſum, praeter naturam caliditas* *). Poſito ergo calore corporis adaucto; antiquiſſimorum conſenſu vniuerſo, ponitur febris; Poſito ergo ſcorbuto calido; ponitur ſcorbutus febri coniunctus: et poſita mania aeſtu corporis coniuncta; ponitur mania cum febri copulata. Haec, ne inutile quid obiicias, adiicienda putaui.



***) vid. *huius Obſeru. Med.* p. m. 71.

*) *Comm. in VI. Epid.* 1. t. 29.

§. XII.

In continua potenter ſanguis reſoluitur (§. 6.). Euidens igitur eſt partes easque valide penetrantes ſanguine contineri. Quae quidem aut vi ſuapte penetrant; aut non. Si hoc; ex vaſorum in ſanguinem actione vt penetrent, neceſſe eſt. Quod ſi illud; pondere penetrent; aut ex adhaeſione, vtpote viribus innatis et corpori quaſi inſculptis, oportet. Prius euaneſcit. Sanguinis enim partes, quum ſolutae teneantur, maſſa gaudent infinite parua. Sed pondus corporis in ratione decreſcit decreſcentis maſſae, ſi ſermo de corpore inſtituitur homogeneo. Ergo pondus illarum infinite paruum; ergo leuiſſimam eſſe ex pondere actionem; actionem ergo haud ſenſibilem, ipſa ſane ratio dictitat.

§. XIII.

Itaque partes ſanguinem valide reſoluentes, ſi penetrare vi ſuapte debent, ex adhaeſione penetrent, neceſſe eſt. At enim vero, quoniam penetratio illa adhaeſionem cauſſam agnoſcit; validae penetrationi ſanguinisque proficiſcenti exinde reſolutioni locus non conceditur, niſi magna praegreſſa adhaeſio ſit. Partes ergo penetrare conantes, partibus quarum ſpatia intermedia percurrere nituntur, adhaereant valide, perſpicuum eſt. Gradus autem adhaeſionis, quum ex vi inſita partium minimarum efficitur: huius

vero

vero cognitio ex corporum grauitate ſpecifica capitur; vt penetrantes partes vis inſitae; hinc grauitatis quoque ſpecificae magnitudine polleant, manifeſtum eſt.

§. XIIII.

Teneant praeter id partes ex adhaeſione potenter penetrandae exiguitatem ſat inſignem. Ex doctrina enim de motu ex vi compoſita conſtat: quod, quo exiguitatis maioris particulae ſunt, a plagis oppoſitis alias inter penetrare nitentes; eo minus a ſe diſtent; eo magis ergo acutus fiat augulus, ſub quo ad particulas a contactu ſeparandas agunt; ergo eo maior quantitatem actionis in compoſito motu exprimens ſit hypothenuſa; ergo eo maior quantitas ſit actionis; ergo eo maior impetus; ergo vis, qua ad corporis alterius ſpatia intermedia penetrandum, particulas eius a contactu ſeparandum atque ita corpus reſoluendum agunt. Quocum experientia quoque conſpirat. Naturae enim cauſticae ſalia et acida et vrinoſa, anguſtis limitibus incluſa, ſeparatim venena dant validiſſima. Iſta partes diſſoluunt: haec putredinem inferunt: maritata; venenatam qualitatem exſuunt peſtiferamque putredinem arcent, exiguitate demta deſtruente.

§. XV.

Non vero vis inſita maior: neque partium exiguitas inſignis multum efficient, niſi earum paucas verſus partes

vna agentium accedat multitudo. Quo maior enim partium ad resoluendum aptarum multitudo; eo maior complexus est virium ad separandas partes vna agentium; eo maior ergo resolutio erit. Ita enim salia acida e mineris ducta, arctis cancellis adstricta, metallorum lamellas breui dissoluunt: iis vero paullulum ab aqua dilutis; particulis ergo eorum in spatium maius distributis; ergo multitudine particularum illarum, in spatio eodem existentium, minori, dissolutio haec vi fracta absoluitur diminutaque. Fac ea satis vlterius dilui, ergo horum particulas in spatium satis magnum disseminari: et particularum destructionem ante inferentium grauitate specifica eadem, eademque subtilitate manente, habebis medicamen, multitudine harum tantum in spatio remota eodem. Igneae partes, specifica quamuis grauitate; vi igitur insitae destitutae fere sint omni: exigua tamen tamquam corpora, in foco speculi vrentis cumulatae, in cinerem cremant: in aëre vero dispersae, damni nihil faciunt.

## §. XVI.

Itaque partes vis insitae maioris, cum exiguitate satis insigni nexae, continua in febre sanguini cumulate inhaereant, necesse est (§. 13. 14. 15.). Inhaerentes autem sanguini partes, praeter igneas, calorem dantes, ter-

restres

restres sunt, sulphureae, aquosae, aëreae et salinae, eaeque, vel concretae ex pluribus, vel non; atque ita vel acidae, vel vrinosae. Efficitur ergo vt harum vna; aut quaedam; aut omnes sint, quibus attribuenda aucta sanguinis morbosa resolutio erit.

## §. XVII.

Terrestres partes, inter reliquas grauitatis specificae respectu eminentes, harum nulli adhaerere, ideoque nec ex adhaesione penetrare possunt: cui accedit, quod earum crassities penetrationi impedimenta ponat. Sulphureae, ob leuitatem partim, partim ob exiguitatis defectum, penetrationi officiunt, id quod de aëreis adfirmari itidem potest. Aquosae, quippe quibus nec vis insita satis, nec sat insignis competit exiguitas, a numero istarum quoque segregantur.

## §. XVIII.

Ad salia quod attinet; addita aquae fundum petunt; ergo specificam habent grauitatem aqua maiorem; ergo vim insitam satis insignem; ergo primum requisitum (§. 13.). Salia, speciatim simplicia, columnae aquosae altitudine immutata, copia sat larga aquae committuntur. Ex quo colligitur: partes salinas spatia ab entibus aquae haud occupata occupasse sicque in interstitia eius penetrasse. Sed interstitia componentibus ea sphaeris multo minora sunt.

Qua de re ſalinas partes partibus eſſe aquoſis multo minores, perſpicuum eſt. Ergo exiguitatem quoque, alterum illud requiſitum (§. 14.) ſalibus modo memoratis competentem videmus. Cumulationem quoque, tertium illud (§. 15.) de hiſce poſſe praedicari, ſalia fluido pauco ſoluta docent.

§. XVIIII.

Quod ad media ſpectat ſalia: iis quidem nec primum denegandum, nec vltimum requiſitum eſt: at enim vero, ex ſimplicibus nata exiguitate deſtituuntur. Ergo potens ſanguinis de iis exſpectari reſolutio nequit, cui experientia quoque adſentitur. Salibus ergo ſimplicibus, vtpote in quae euolutorum omnia cadunt vberrime (§. 16), et aut acidis quidem tantum, aut vrinoſis, aut vtriſque ſimul, ſanguinis praeter naturam aucta reſolutio erit tradenda.

§. XX.

Ac ſalia quidem acida, quoniam in terrearum reſolutione operam exercent: illae autem partes parum ignis retinent, ex horum vbertate deriuari ſaepe vrens illa calor nequit. Vt omittam, quod eorum vbertas vrinoſorum paucitatem, ergo defectum actionis partium inuoluat, quae in ſulphureis reſoluendis, quippe quibus igneae partes adhaerent maxime, occupantur. Statuamus igitur neceſſe eſt, ſalia vrinoſa eſſe, in quae proxima reſolutionis febrilis cauſſa coniicitur. Haec abundantia, in partes ſulphureas

reas copia impingent maiori, hinc a contactu igneas partes eodem tempore copiosius separabant; inde motum earumdem maiorem; hinc calorem maiorem cient. Quibus explicatis atque excussis, sequitur vt doceam, vnde fiant.

§. XXI.

Vrinosa quae in sanguine abundant salia, aut qua abundantia ex eo ipso progignuntur; aut non. Si prius; ex sanguine progignuntur aut circulante; aut non circulante, de quo paullo post.

§. XXII.

Quod si ex sanguine progignuntur circulante; illud aut ex fluidi salia temperantis, seri puta, defectu euenit; aut non.

§. XXIII.

Si ex seri euenit defectu; defectus ille aut sero multum excreto nascitur, aut parum restituto. Alterum in vigiliis protractis, nec minus in diarrhoea diuturna obtinet violentoque sudore multum vel diu elicito, sine seri, sufficientis saltim, instaurata quantitate. Alterum: si inediam diu satis homo sustineat sitimque: tunc enim id quod absumtum est non resarcitur; hinc salia, quia partes accedunt nullae quibus adhaerere, adhaerendoque exiguitatem amittere queant, pariter ac ob defectum seri, non temperan-

perantur: vnde ſalium actio, liberatio, ſanguinisque reſolutio maior exſurgit. Huic iungitur, quod ob multitudinem fluidorum et vna cum ea vaſorum repletiorem decreſcentem, ea, qua liberantur, quantitate euacuari nequeant; hinc plus iuſto paullatim increſcentia, ſanguinem plus iuſto reſoluant.

## §. XXIIII.

Quod ſi vero non ex ſeri euenit defectu; reliquum eſt vt ex admixtis aceruatim ſanguini ſpiritibus, vehementem eius reſolutionem, eamque propter ſalium vrinoſorum inuehentibus ſeparationem maiorem, id quod ira exarſis, nec minus dolore vehementer adflictis ſolet contingere, producantur. Iam ſalia a vinculis liberata, aut ea, qua liberantur, multitudine euacuari iterum poſſunt, aut non. Illo poſito; tranſiens erit reſolutio aucta: hoc vero; non item: proſequuntur enim ſalium adauctam liberationem, quae dein in aliis de nouo liberandis operam exercent. Ex quo vna intelligitur: cur iram excipiens potio, larga praeſertim, adeo nociua pariat? Tranſeunt enim cumulate igneae partes in potionem frigidiorem; hinc coarctatio vaſorum ventriculi partiumque vicinarum, in vaſa extrema per conſenſum ſe diſtribuens, id quod horripilationes potionem frigidam largamque inprimis excipientes

confir-

confirmant, vnde ſalium iuſto magis liberatorum retentio, ſanguinisque aucta reſolutio incrementa capit.

§. XXV.

Si non ex ſanguine ipſo qua abundantia progignuntur vrinoſa, quae in eodem abundant ſalia (§. 21.); aut ad ſanguinem amandantur; aut excernenda ex eo retinentur.

§. XXVI.

Quod ſi excernenda ex eo retinentur; cauſſa retentionis aut haeret in corpore; aut non. Si illud; vel in ſanguine haeret ad transeundum, vel in vaſis ad transmittendum, ineptis, vel in vtrisque ſimul.

§. XXVII.

Sanguis ad transeundum ineptus vel acris, vel viſcidus eſt. Sanguinem enim acrem irritatio arteriolarum; hinc earumdem coarctatio; inde retentio, inſequitur. Viſcidus vero ſi eſt ſanguis, quum, quia ex adhaeſione vaſa minima, capillaribus aequiparanda, ſanguis tranſit potiſſimum: fluidorum autem viſcidorum per vaſa capillaria motus vel nullus, vel certe obſeruatur difficilis, aegre mouetur; ſalium excretioni is obſtat; hinc retinendis iſtis fomitem ſuppeditat. Viſcidum ergo generantia continuis generandis inſeruiunt, quorſum moeror profundus, diuturnus, praecipue ſpectat, vtpote qui ſpirituum cum ſanguine permixtionem; hinc ſanguinis a ſpiritibus pendentem reſolutionem; inde cohaeſionis imminutionem multum impedit: victus porro craſſus, nimium ingeſtus, etc.

## §. XXVIII.

Quod ſi in vaſis ad transmittendum ineptis retentionis haereat cauſſa (§. 26.); in vaſis quae excernunt plus iuſto coarctatis haereat, neceſſe eſt. Haec vaſa vel ea ſunt, per quae cadit vrina a ſanguine delapſa; vel ea, quorum interuentu ad inteſtina craſſa permanat mucus; vel ea, quae ex cute humorem profundunt. Illa multum eſſe et diu obſtructa poſſunt ſine eo vt febris incendatur. Haec vero, eo in primis tempore conſtricta, quo copioſam eductionem deſiderant ſalia multum elicita, mox inflammandae febri viam ſternunt. Salia enim ex finibus corporis in auras abeuntia, qua volatilia, ſubtilitate magna fruuntur efficacitateque. Multum igitur retentis iis ſanguinis breui inualeſcet reſolutio.

## §. XXVIIII.

Coarctantur vero vaſa cutis ſaliaue multum retinentur, calore exaeſtuans corpus ſi frigori repente exponitur. In corpore enim ita conſtituto, validam propter ſanguinis reſolutionem, quantitate natura multo maiori ſalia ſeparantur. Quoniam vero ob vaſa tunc temporis natura magis aperta, ſalia quantitate iuſto maiori liberata arterias cutis exhalantes copioſius tranſire queant, nec minus ob vegetiorem ſanguinis in orbem circumacti curſum ad modo memorata vaſa tempore eodem plures partes amandantur; ex ſalium liberatione maiori nociui nihil poteſt exſurgere. At enim vero, ſi frigori corpus exaeſtuans repente exponitur; vaſa cutis excernentia ſimul coarctantur: fluida vero ad ea delata repente ſpiſſa efficiuntur, quae ſalium reten-

tio magna ſanguinisque aucta reſolutio preſſo pede inſequitur.

§. XXX.

Idem illud, gradu quamuis minori, locum inuenit, dum verno tempore praemature chlaena deponitur, vel auctumno iam adulto recuſatur. Nam vtrumque de die excitatam tranſpirationem accedente nocte ſub dio verſantis infringit. Premente etiam frigore exercitationem ſubeuntes vehementem huicque inhaerentes, eidem ſe periculo ſubiiciunt. Vehementem enim ſanguinis inde inductam reſolutionem ſalium excipit liberatio valida, ſine eo vt ob vaſa frigore conſtipata, hac, qua liberantur, quantitate excernerentur. Praeterea, quoniam ob conſtricta vaſa exteriora verſus cedere nequit turgidus ex motu ſanguis, ad interiora ire coactus, partes inflammat. Quibus adnumerari etiam poſſunt frigore grauante ſexum ſequiorem adfectantes proterui iuuenes, dum motu, praecipue valide ſuſcepto, conſtrictioni vaſorum inſolitae denudatum pectus exponunt, mortem cum voluptate ſaepe commutantes. Neque terrore perculſi atque adflicti ex eorum excluduntur numero. Spaſticam enim vaſorum conſtrictionem eamque maxime inſignem terrorem contrahere, dubitaturum puto neminem.

§. XXXI.

Quod ſi vero extra corpus retentionis haereat cauſſa (§. 26.); non niſi in iis, quae arteriarum exhalantium cutis inſigniter obſtruendarum donatae facultate ſunt, verbo: in iis quae tranſpirationem perturbant valide atque impedi-

 unt,

unt, erit quaerenda. Referri huc meretur: veſtitus aqua madidus diu et ſub valida praeſertim exercitatione geſtus: aër calidus in primis humiduſue. Quatenus enim calidus eſt; tranſitui particularum ignearum impedimenta opponit; vnde retentio particularum ignearum; reſolutio ſanguinis ſaliumue liberatio maior. Quatenus vero humidus eſt excretioni eorum officit; hinc fecunda continuarum exſiſtit mater: aër humidus putriduſue, qualis circa aquas ſtagnantes reperitur. Qua humidus enim tranſpirationem arcet: qua putridus vero putrida ſalia in ſanguinem confundit, et quae ſunt reliqua.

## §. XXXII.

At! ſi ad ſanguinem amandantur vrinoſa quae in eodem abundant ſalia (§. 25); cauſſa aduectionis aut corpore ipſo continetur; aut non.

## §. XXXIII.

Cauſſa aduectionis ſi corpore ipſo continetur; aut via ſolita, vaſis nimirum chylo ducendo dicatis continetur; aut non.

## §. XXXIIII.

Si via ſolita, vaſis nimirum chylo ducendo dicatis continetur; aut chylo ipſo continetur; aut non. Sumto priori; non niſi in chylo, partibus ſanguinem multum reſoluere potentibus pleno contineri poteſt atque referto. Conficitur vero ille ex potu potentia calido acri ingenti copia hauſto; vinis maxime generoſioribus: putrido; vermino-

ſo:

ſo: cibo acri aromatico: putrido, vel putredinem quaſi in ventriculo concipiente, nec minus ex commixtione fecum acrium vermium, in inteſtinis tenuibus nidos conſtruentium.

§. XXXV.

Chylo ipſo ſi non contineatur; reliquum eſt vt affatim adfluens bilis inculpetur, id quod ira exagitante correptis eſt videre, vtpote qui bilioſo interdum vomitu vexantur. Spiritus enim tum copia agitati, veſicae fellis praeter naturam contrahendae ſtimulos admouent. Affatim igitur protruditur bilis: protruſa ad duodenum delabitur: delapſa iſtud irritat: irritatum ſurſum deorſumque bilem cogit; inde ſpasmodica ventriculi conſtrictio; hinc nauſea, vomitus. Deorſum mota; aut repleta cibis inteſtina inuenit; aut non. Poſito illo; iis adhaerens bilis efficaciam, quod ad partem ſaltim, amittit: hoc vero; tamquam ſaponaceum fluidum ab adfluentibus menſtruis diluitur: partim excernitur, partim abſorbetur: ſe in ſanguinem vertit: reſolutionem tamquam acre maiorem excitat, tamquam viſcidum tranſpirationem cohibet, atque ita, et in primis quidem, ſi larga alias tranſpiratione vtebatur indiuiduum, concurrente cauſſa, infra ad rationem reuocanda (§. 44. n. *e.*), febrim inducit. Idem illud efficere poteſt bilis acrior reddita eaque cumulate ſecreta, quatenus cyſtidem conuellit, vnde febres bilioſae.

§. XXXVI.

Quod ſi vero non via ſolita, vaſa nimirum chylo ducendo dicata contineatur (§. 33.); in ſalibus haerebit

 a par-

a parte adfecta ad ſanguinem circulantem ductis. Modo autem memorato locus conceditur: in partibus inflammatis internis: externis, ſi ab iis in ſanguinem circulantem copia inſigni ſal confunditur, id quod in eryſipelate magna: magnis inflammationibus ex vulnere genitis, locum obtinet: porro in obſtructionibus antiquis: recentibus, ſi obſtruens ſanguis corrumpat: vlceribus internis: cancroſis externis: pure; ſanie; putridaue aqua, reſorptis: lochiis retentis ſtagnante caloremque concipiente in mammariis ſanguine. Vnde febres inflammatoriae: eryſipelacea: vulneraria: dyſenterica, continua plus minus putrida: lenta: variolacea per inoculationem: puerperarum: lactea, et quae ob ſanguinem, ex haemorrhagia larga in extremis ſtagnantem corrumpentemque oritur.

## §. XXXVII.

Si cauſſa aduectionis non corpore ipſo contineatur (§. 32.); ſi igitur extra illud haereat; in iis quibus inuoluimur veſtimentis, vel circumfluente nobis aëre, latitabit. Et in illis quidem, ſi ſalibus, quibus magna ſanguinem reſoluendi ineſt vis atque poteſtas, contaminata adplicantur. Ea enim, corporis caloris acceſſu liberata, in iſtud penetrant: in hoc autem, ſi inquinatus iisdem victum, pulmones, vna cum corpore reliquo attingens eidem illa communicat.

## §. XXXVIII.

Itaque producere continuam poſſunt, quae

a) acre ſanguini inhaerens euoluunt (§. 23. 24.):

b) acre

b) acre excernendum ex ſanguine retinent (§. 27. 28. 29. 30. 31.):

c) acre in ſanguinem confundunt (§. 34. 35. 36. 37.):

verbo: quae ſanguinis inducere reſolutionem maiorem poſſunt. Vnde liquet: quinam facilius; difficilius; aut plane non, febre? Quando acuta ſint correpturi: non acuta? Quo maior enim cauſſa efficiens, determinans; eo maior erit effectus, et contra. Cur nonnulli ex leuiore diaetae vitio, et interdum euidente ne vllo quidem cognito in illam incidant?

## §. XXXVIIII.

Sed merito ex me quaeritur: qui fiat, vt reſolutionem ſanguinis adauctam acrimonia alcalica inſequatur; vt igitur ſalia vrinoſa ſint quibus inchoatae reſolutionis conſeruatio, auctio, committenda, quippe quod reputandum nullas reputaui (§. 20.). In promtu ſunt quae ad id, de quo quaeritur, reſpondeo. Maxima victus pars aceſcens eſt, vtpote quod vegetabilium pleraque pariter ac ex iis confecta, et panis, et cereuiſia, et vina, luculenter ſatis monſtrant. Emineant ergo vrinoſorum reſpectu, cuius contrariam tamen partem Chemici docuere, quum diſquiſitioni ſubiectus ſanguis pauxillum acidi, vrinoſi reſpectu, recondit. Itaque in corpore noſtro vrinoſa ſalia multum liberantur: acida vero commutantur. Quae liberatio, quia reſolutionem ſanguinis cauſſam agnoſcit, eo erit maior, quo maiori reſolutioni ſanguis ſubiicitur. Quod, quum in continua fiat; vrinoſa tunc magis liberari, in aprico eſt.

Ex

Ex quo vna patefcit: cur fanguine tardius de corde migrante, nifi qua ftagnans corrumpat, acidum emineat: ócyus vero non item? Refolutionem enim fanguinis, huius determinat motus progreffiuus.

## §. XXXX

Quae de cauffa proxima ab aliis difputata funt, in iis refellendis breuitatis cauffa non occupabor. Teneri tamen non poffum, quin mecum conftitutionem praeternaturalem tamquam proximam morborum cauffam venditantes, erroris arguam, dum continuarum proximam cauffam acrimoniam effe alcalicam aiunt. Quantitas et qualitas oppofita funt. Ergo et quantitas et conftitutio oppofita funt: nam qualitas et conftitutio voces funt idem fignificantes. Iam vero acrimonia fanguinis eft quantitas falium fanguini inhaerentium iufto maior. Ergo acrimonia fanguinis quantitas eft; ergo non qualitas; nec conftitutio; ideoque nec continuarum proxima cauffa.

## §. XXXXI.

Ad febris cauffas mediatas proximiores relatam quoque plethoram ad vires video, fed quo iure id fiat, ego quidem non perfpicio. Febris enim quum in fanguinis confiftit refolutione aucta praeternaturali; id, quod refolutionem iftam efficere nequit, nec febrim progignere poteft. Facile inde capitur: quod refolutionem fanguinis imminuens cauffa febrim efficere eo minus poffit. Iam vero in plethora fanguinis adeft refolutio iufto minor: nam in plethora adeft fanguinis maffa aucta; in plethora ergo

aucta,

aucta, quae viribus ſanguinem mouentibus obiicitur, reſiſtentia eſt; ergo ſanguis tardius mouetur, hinc motus inteſtinus minor; inde minor quoque ſanguinis reſolutio, efficitur. Ergo plethora, febrim, ſi vrgeat, minuere quidem, nequaquam vero efficere poteſt. Quod vero plethora ſebrim praeſentem potius imminuat ac efficiat; in maiori gradu plethoricis, iisque febre correptis, eſt videre. Mitior enim eorum adparens in principio febris multum intenditur, venae ſectione eaque minus larga celebrata. Creſcit enim ob reſiſtentiam per ſectionem venae imminutam ſanguinis celeritas. Creſcit ergo motus inteſtinus ſanguinisue reſolutio. Creſcit ergo febris.

§. XXXXII.

Non vero in viuis ex adhaeſione tantum penetrant ſanguinemque reſoluunt ſalia, vt in vniuerſum, ita et vrinoſa; ſed ex actione etiam cordis arteriarumue. Quod ſi ergo ad velocius agendum impellantur in ſanguinem cum motu agentes iſtae vires, morboſa ſanguinis aucta reſolutio; ideoque febris vt incendatur, neceſſe eſt. Quaenam ergo ex cauſſis, ſiue naturalibus, ſiue praeternaturalibus, cor vna cum arteriis ad velocem ſatis exſtimulare contractionem poteſt; illa febrim incendere incenſamque poteſt multiplicare. Adnumerari iis vero poſſunt

*a*) ſanguis ſtagnans et

*α*) quidem, quatenus vaſa obſtructa multum dilatat ſicque fibras eorumdem multum extendit. Sanguis enim eam ob cauſſam in fluidum commutatur preſſum, quia propter reſiſtentiam, a globulis tam inter ſe cohaerentibus, quam cum vaſorum parietibus, progenitam, ea, qua a corde pro-

pellitur, quantitate arteriarum transire fines nequit. Nata igitur obstructione; iisdem transitus noua nascuntur impedimenta; sanguis ergo in fluidum commutatur pressius; magis ergo in vasa agens ea dilatat fibrasque extendit.

β) quatenus salia in vasis obstructis accumulata in fibras ex adhaesione impingunt. Semper enim in sanguine stagnante vti in sanguine reliquo vi motus intestini salia liberantur. Quoniam vero motus sanguinis in vasis obstructis, si non plane cesset, multum certe retardatur; salia vi motus intestini semper continuantis, a reliquis, quibuscum cohaerebant, partibus, separata, ea, qua separantur, quantitate vasa transire obstructa nequeunt. Accumulantur ergo in vasis obstructis, accumulataque ex adhaesione inter alias partes penetrant, sicque reconditorum salium ignearumque quiescentium particularum separationem efficiunt, quae dein cum vasis obstructis ad contactum venientia in ea penetrant. Vtroque vero modo vasa irritantur obstructa, quae, irritata, reliquis, ex vno cum iisdem trunco progerminantibus, eamdem irritationem inprimunt, sicque arterias vna cum corde ad velocius agendum impellunt. Eumdem habebis effectum, quamuis gradu diuersum, siue fluidum stagnans sanguis sit, siue serum salibus multis refertum.

b) sanguis in rarefactione morbosa constitutus, quatenus vasa praeter naturam dilatans fibras aequo magis extendit.

c) salia vi febris liberata, quatenus fibras cordis arteriarumue irritant.

d) acria copiose ingesta, quatenus eumdem effectum edunt.

e) cibi corrupti, vel corruptionem concipientes, quatenus fibras vasaque ventriculi multum vellicant. id quod etiam de bile, in

ven-

ventriculum copiose congesta, nec tamen euacuata potest adfirmari.

§. XXXXIII.

Vix, ac ne vix quidem, quum de quanto sermo est, animo perspici potest, quod corrupti in ventriculo cibi, quatenus ibidem haerent, in istiusdem arteriis, haeque per consensum in arteriis reliquis excitare irritationem valeant tantam, vt exinde nata cordis arteriarumue contractio aucta auctam resolutionem sanguinis morbosam; ideoque febrim ipsam, producere posset. Quidquid igitur certi hac de re scimus, experientiae soli debemus. Itaque huc spectantem casum, cuius ocularis fui testis, ex praxi Experientissimi Domini D. GRAVII addere licebit. *Medicinae Studiosus, petasione, inconsueto victu, vsus largiter, per aliquot dies male se habebat. Tertio; horrore corripiebatur valido, quo praesente nullum sentire pulsum poterat. Succedebat delirium semper continuans. Multum aestuabat corpus. Fortiter arteriae mouebantur. Accedens demum* Dominus D. GRAV, *deque caussa instructus, vomitorium illico exhibuit. Vomitu primo peracto, beneficio cuius pauxillum victus corrupti edebatur, delirium sopiebatur, sopitum euanescebat penitus vna cum aestu et pulsu veloci, vomitorii operatione absoluta. Sine adhibito alio medicamento subito ita conualescens aeger, vt sua subire negotia iterum posset, non nisi sensuum internorum imminutionem aliqualem per aliquot dies animaduertebat.*

§. XXXXIIII.

Quum aegroti illius restitutio plena vomitorii opera-

 tio-

tionem peractam insequebatur: per vomitorium autem partes quidem cauitati ventriculi non vero sanguini inhaerentes eliminabantur; luculenter satis patet: horrorem validum illum, delirium atque febrim, pro sua caussa tantum irritationem, ex minuta quantitate victus corrupti ortam, agnouisse. Ex quo vna euidenter satis patescit,

*a*) quod non omnis febris partium sanguinem componentium proportionem supponat vitiosam; ideoque nec intemperiem seu constitutionem fluidorum vitiosam.

*b*) falsam esse illam semiotices, quam, qua vniuersalem, traditam video, regulam, quod nimirum deliria, quae in initio febris obueniunt, exitii notam portendant.

§. XXXXV.

Sed de causis et dilucide, vt opinor, et dictum satis. Sequitur vt ad ea quae ducuntur a sensibus, symptomata nimirum continuam cum antecedentia, tum comitantia, animum adiiciam, excutienda eo exactius, quum ex iis pariter atque caussis curationis admouendae et fons, et norma repetendi.

§. XXXXVI.

Continuarum aliae sine omni prodromo statim per calorem corpori infestae sunt; aliae non: eaeque aduentum vel horripilationibus intercurrentibus, nunc leuioribus, nunc grauioribus, designant; vel horrore; frigore particulari, vniuersali, portendunt.

§. XXXXVII.

Confestim cum calore inuadentes, aut chronicae sunt;

aut

aut non. Ad illa lenta pertinet eamque excipiens hectica; quas alio loco prosequi magis opportune licebit. Ad has vero referri diaria tantum potest, si lecto detentos somnoque quasi sepultos capiat. Isti enim de horripilatione non conqueruntur, aut, quia somno indulgentes mutationem adeo leuem non percipiunt; aut quia tegumentis calidis inuoluti tenentur. Sin vero interdiu accedat; horripilationem eamque leuissimam mouet. Hinc veritati quam maxime consentaneum esse videtur, hanc febrem sine horripilatione praecedente nec vmquam in somno detentos incidisse.

## §. XXXVIII.

Non confestim cum calore inuadentes; aut inflammatoriae sunt; aut non. Istae, nisi inflammatio ad febrim accedit, horrore aduentum semper designant. Excipiunt eundem aestus vniuersalis semper inualescens: pulsus durus, nisi in pulmonali arteria sedem inflammatio figit, contractus, celer, creber, aequalis, inaequalis, respiratio plus minus difficilis, anxia, suffocatiua: vrinae paucae, tenues, pellucidae, albae, flammeae, passeae, cruentae, turbidae: dysuria: ischuria: icterus: deglutitio difficilis: deiectiones fecum spumosarum, biliosarum, leuiter cruentarum: alui adstrictio: tenesmus; cephalalgia: dolores tensiui, grauatiui, punctorii, colici, ardentes: inquietudo: anxietates, anorexia: siccitas oris: sitis intensa: delirium: furor: nausea: vomitus: tussis sicca, humida cum eiectione materiae flauae, cruentae, purulentae: conuulsiones: agrypnia, somnus inquietus, et si discutitur, quae fe-

brim comitem habet inflammatio, euacuationes criticae: crises.

SCHOL.

Cuiusuis inflammatoriae febris signum praecedens habetur horror. Sed, vt ego quidem iudico, is inflammatoriae febris vniuersum signum praecedens haberi nequit. Horror enim ille, quum ex irritatione vasorum inflammatorum, ob connexionem in reliqua, ex vno cum iisdem trunco prouenientia, se distribuente ortum ducat; isti locus non conceditur, nisi inflammatio in vasis haereat ex arteriae magnae trunco in corpus ductis. Iam inflammatio pulmonum aut pulmonali tantum arteria continetur; aut non. Si prius, quia nullus illius cum arteria magna datur nexus, cuius interuentu in reliquum corpus duci irritatio posset, nullus oriri, vt pulsus durus, ita et horror, poterit. Si igitur peripneumoniam horror praecedat nullus; ex solo isto signo, si faciem inflatam multumque rubentem sine lateris dolore videas, tuto conclusionem elicies: inflammationem pulmonum pulmonali tantum arteria contineri. Quod si vero praecesserit; consequens erit: arteriam bronchialem inflammationis esse subiectum.

## §. XXXXVIIII.

Ex paragrapho praecedente dictis ergo patet:

*a)* Symptoma, inflammatoriae febri antecedens, esse effectus irritationis, a sanguine, et stricte quidem sic dicto, stasin concipiente, prouenientis, vt ex iis, quae horrorem excipiunt, symptomatibus edocemur:

*b)* Symptomata, quibus febris stipatur, esse effectus sanguinis stricte sic dicti stagnantis, inflammantis, irritantis: febris, coniunctae: caloris:

*c)* Symptomata, vi quorum inflammatoria febris cum salute terminum suum attingit, esse effectus febris: vasorum apertorum: virium cordis arteriarumue.

## §. L.

Quod si non confestim cum calore inuadentes inflammatoriae non sunt (§. 48.); aut cum efflorescentiis copulantur; aut non, ideoque continuae simplices sunt. Vtrasque procurrunt, praeter supra memorata (§. 46.) membrorum grauitas: corporis insolita lassitudo: virium iam repente irruens prostratio, iam paullatim ingrauescens: animi defectio: adpetitus decrementum; siccitas oris: aluus segnior; vrina parcior, vel certe tenuior: inquietudo: dolores: nausea: vomitus: mentis alienatio: catarrhales adflictiones.

## §. LI.

Accedit nunc aestus corporis accessu suo febris accessum designans. De quo notandum, quod

*a*) vel in eodem, quo incessit, gradu persistat, vel non: tuncque vel increscat; vel decrescat, idque aut iterate; aut minus:

*b*) quod in omne corpus aut diffundatur aequaliter; aut non, ita vt vreant interdum interna rigescentibus externis.

Comitatur vero pro varietate febris pulsu plus minus celeri, crebro, aequali, inaequali, intermittente, magno, paruo, contracto, vehementi, languido: virium lapsu: animi deliquiis: respiratione difficili, anxia: vrina tenui, citrina, naturali simillima, crassa, plus minus rubra, perspicua, turbida: aluo compressa, laxa: doloribus: adpetitu disiecto, aucto: siccitate oris: siti auctiore: nausea:

conatu

conatu vomendi: vomitu: ructibus flatibusque: pressione ventriculi: torminibus ventris: anxietatibus: deliriis: vertigine: extremorum frigore: aphthis: motibus conuulsiuis: conuulsione, agrypnia: sopore.

## §. LII.

Prorumpunt demum vel exanthemata; vel si non exanthematica febris, eaque cum salute terminatur: aut euacuationes, iam sanguineae, vt varii generis haemorrhagiae; iam serosae, vt vomitus, diarrhoea, vrina copiosa, sudor; vel cum morbo decumbentis sensim contingentes leuamine; vel simul affatim consistentes febrimque finientes, consequuntur: aut suppurationes in glandulis fiunt, quae, modo sub exitum morbi eueniant, et perfectae sint, corpus, si progeneratum emitti pus potest, in integrum restituunt. Iis vero antecedunt: vigiliae: inquietudines: delirium: sopor: vertigo: obliuio sensuum: insignis capitis, ceruicis, stomachi, praecordiorum, aliarumque partium, dolor: aurium susurrus, tinnitus, obsurdescentia: oculorum caligo: falsi iisdem obiecti splendores: inuitae lachrymae: frequens nausea: vrinae suppressio: alui insueta murmura: anxietates: iactatio corporis: exultationes e cubili: furor: pulsus repente ordinis expers, durior, paruus, magnus, vehemens, vndosus: aestus et sitis solito vehementior, immo tota accessio febris vehementissima: insolens quidam atque magnus, cum ipsa accessione incidit rigor. Quae quidem symptomata, si post notas coctionis in corpus incidunt, viribus nondum exhaustum, salutem spondent: sin minus; perniciem minantur certissimam.

## §. LIII.

Febrim cum antecedentia tum concomitantia ſymptomata illa ad rationem ſeorſim reuocare, temporis anguſtia vetat. Eruditus autem lector, concinno ordine de iis animo ſecum ſi cogitet, eosque peruoluat; inueniet facile

*a*) ſymptomata quae continuam, nulla inflammatione coniunctam, praecedunt, effectus eſſe obſtructionis irritationisue:

*b*) ſymptomata quibus febris ſtipatur, eſſe effectus febris, caloris, obſtructionis, irritationis:

*c*) ſymptomata quibus febris terminatur, eſſe effectus febris, obſtructionis, dilatationis, irritationis, virium cordis arteriarumue.

## §. LIIII.

Traditis iis atque euolutis, quibus continua febris, ſiue inflammatoria ſit, ſiue non inflammatoria, ſtipabatur ſymptomatibus, age rem adeo arduam atque obſcuram, febrium illarum puta, et non inflammatoriarum praecipue, geneſin, ſcitu eo magis neceſſariam, quum exinde eluceſcit, quaenam in curandis iis, vt ad finem perducantur fauſtum felicemque, adhibenda ſit methodus, ordine concinno et pro viribus diſtincte exponam, fiendi illarum quae cum fuſione fiunt, modum, alio tempore, ſi longius mihi vitam producere liceret, ſuppeditaturus.

## §. LV.

Quod ad febris attinet continuae inflammatoriae geneſin; ex ſymptomatibus quibuscum connectitur (§.48.) eruta haec eſt.

*a*) Stagnat ſanguis isque ſtricte ſic dictus, dilatat multum vaſa

obstructa fibrasque extendit (§. 42. n. $\alpha$); vnde *doloris* initium.

*b*) Fibrae extensae, qua irritatae, ad constrictionem praeternaturalem concitantur, eoque magis, quo magis irritabiles fibrae, dicam, quo maiori neruorum donatae copia, et quo minus fibris septae non neruosis sunt.

*c*) Serpit connexionem propter vasorum constrictio ea in reliqua vasa; hinc in istorum quoque extrema, vnde *horror*, indiuulsus inflammatoriarum ille prodromus, in inflammata pulmonum arteria fundatam si excipias.

*d*) Salia in vasis obstructis vna cum igneis partibus affatim separata (§. 42. n. $\beta$) in eorum fibras agunt, quo effecto in *ardentem* dolor commutatur.

*e*) Fibrae, ex illa etiam caussa irritatae eamdem irritationem connexis fibris imprimunt. Ob irritationem ergo arteriarum, cordis, earumque stricturam subsequentem

*f*) Sanguinis motus progressiuus inualescit: *pulsus* redditur *celer*, *creber*, *contractus*, *durus*, (nisi arteriae pulmonali inhaereat inflammatio, tunc enim, quia arteria irritari magna nequit, nec pulsus effici durus potest), et pro varietate irritationis, vel obstructionis, *aequalis* vel *inaequalis*: cephalalgia oritur: *inquietudo*: *anxietates: agrypnia*: *somnus inquietus*: *conuulsiones*: *delirium*: nec minus pro partis qua continetur diuersitate, furor: *deglutitio difficilis, respiratio difficilis, anxia, suffocatiua*: *tussis sicca*: *nausea*: *vomitus*: *deiectiones fecum spumosarum*: *biliosarum*: *leuiter cruentarum*: *icterus*: *vrinae paucae, tenues, pellucidae, albae, cruentae, dolores colici*: *alui adstrictio*: *dysuria*: *ischuria*: *tenesmus*.

*g*) Copu-

*g*) Copulatur cum iisdem auctus ſanguinis inteſtinus motus, ideoque etiam ſanguinis reſolutio aucta, hinc *febris*, *aeſtus* et partim quidem, propter determinantem motus inteſtini cauſſam, motum videlicet progreſſiuum adauctum (n. praec.): partim vero ob ſalia ex parte inflammata in ſanguinem confuſa (§. 42. n. β). Expanditur ergo

*h*) *Aeſtus*: rareſcit ſanguis: ad contractionem maiorum vaſa exſtimulat. Inualeſcit ergo motus progreſſiuus, inteſtinus, reſolutio, febris, calor, ſalium liberatio. *Os* igitur *exareſcit*. *Multum ſititur: Difficilius ſpiratur*. *Vrinae* redduntur *flammeae*, *paſſeae*, *turbidae*. Vrget *anorexia*.

*i*) Multiplicantur omnia:

*k*) Cum ſalute tandem ſi febris terminatur; ſanguis ſtagnans vi ſalium liberatorum reſoluitur, ſicque ad tranſeundum vaſa, quibus impactus tenebatur, aptus redditur; vi vero cordis arteriarum expellitur. Sequuntur ideoque, aut *criticae euacuationes* aut *criſes*, pro ſtagnantis ſanguinis aut paullatim, aut ſemel effecta, reſolutione.

## §. LVI.

Fluida in canalibus communicantibus mota, ſi horum quidam obturantur, celerius permeare adhuc aperta, lex eſt hydraulica. Naſcitur inde illa concluſio: quod ſanguis, obſtructis vaſis quibusdam aperta adhuc celerius permeet. Vnde ſanguinis motui progreſſiuo, inteſtino eiusdem, reſolutioni, calori, cumulum addi, ſponte fluit. Legem vero illam, veriſſimam quidem, ad corpus humanum poſſe adplicari, minime credo. Fluida enim, in canali-

nalibus communicantibus mota, vbi exitum quaerunt, nullam, nisi minimam eam, quam aër circumfusus largitur, resistentiam inueniunt: Fluida vero in corpore nostro mota, vbicumque moueantur, sanguinis magnam massam vna cum vasorum vi vitali pariter atque physica resistentes accipiunt. Quum igitur fluidis in canalibus communicantibus, extra corpus nostrum motis, plane alia ac iis, quae de vasis in corpore nostro migrant, resistentia opponitur; quum igitur res circumstantes in vtrisque plane non conueniunt: positis vero caussis iisdem sub iisdem rebus circumstantibus idem tantum effectus ponitur; euidens est: illam legem ad corpus humanum perperam adplicari.

## §. LVII.

Ex quibus (§. 55.) patet: *in curanda inflammatione sanguinis inflammati ipsas partes occupari.* Nam inflammatio istud in parte est, quod febris continua in toto: in hac enim calor corporis: in illa calor partis, auctus est. Itaque *inflammatio impotentia partis est calorem satis mitem conseruandi*, seu: *inflammatio*, si geneticam definitionem desideras, *resolutio sanguinis morbosa in parte aucta est.* Per hanc igitur resolutionem stagnantis sanguinis cohaesio minuitur, sicque ad permeandum vasa inflammata adaptatur. Cui accedit, quod sanguis stagnans, saliaue ex eo elicita, irritatio sat magna si inde oriatur, cordis arteriarumue accelerent motum. Re ita comparata; ad sanguinem stagnantem commotus sanguis vi aucta dirigitur, ex qua nisi nimium impactus sanguis id impediat, propulsio eiusdem efficitur, quae, effecta, ad finem salutarem inflammatio-

niem perducit. Desiderat ergo illa, quam depinxi, febris medicum coadiutorem, non depressorem, quo sanguis stagnans resoluatur, propellatur, antequam ob seri sensim contingentem secessum spissitudinem adeptus est tantam, vt neque resolui possit, neque propelli. De febri inflammatoria, ex continua simplici progenita, nihil est, vt addam, quum huius fiendi modus perspectu difficilis non sit.

## §. LVIII.

Sequitur vt continuae non inflammatoriae genesin tradam, quam, ex symptomatibus supra propositis erutam, sic habeto.

*a*) Stagnat sanguis vel repente, vel paullatim, nisi ab acribus ingestis; vel irritatione tantum, a contentis ventriculi tracta atque profecta, febres ceperunt originem.

*b*) Sequuntur quae inde redundant obstructionis irritationisue symptomata, vnde *febris prodromi* (§. 46. 50.).

*c*) Fibrae irritatae, arteriis in consensum vna cum corde tractis, constrictionem earum accelerant, quam acceleratam auctus sanguinis in orbem acti cursus insequitur.

*d*) *Celer* iam et *creber pulsus* redditur, et pro gradu varietateque obstructionis irritationisue atque eam excipientis arteriarum stricturae *pulsus* excitatur, nunc *magnus*, nunc *paruus*, et *aequalis*, et *inaequalis*, et *intermittens*, vel *vehemens*, vel *languidus*, *subdurus*.

*e*) Ob inualescentem progressiuum sanguinis motum, motus inualescit et intestinus, ideoque et resolutio, hinc febris incensa *aestum* in corpus diffundit.

*f*) Salia inde liberata resolutioni adauctae, febri et aestui, progressiuo itemque motui, cumulum addunt.

*g*) Igneae partes affatim propulsae rarescentem sanguinem reddunt, qui, rarefactus, cor vna cum arteriis ad agendum velocius impellit.

*h*) Sanguis, si pertinaces obstructiones sunt, temporis longitudine corruptus, salia, ex se separata, in sanguinem confundit (§. 42. n. β.

*i*) Omnia in peius ruunt. Quibus fientibus, pro magnitudine obstructionis, irritationisue, et partis obstructae irritataeque diuersitate accedunt

*k*) *Virium lapsus: animi deliquia: respiratio anxia: vrina tenuis, citrina, naturali simillima, crassa: aluus compressa, laxa: dolores: nausea: vomendi conatus: vomitus: ructus: pressio ventriculi: tormina ventris: anxietates: vertigo: deliria: internorum aestus: extremorum frigus: motus conuulsiui: conuulsiones: agrypnia: sopor:*

*l*) Ob resolutionem sanguinis et calorem adauctum *respiratio difficilis* sequitur: *vrina plus minus rubra, perspicua, turbida: flatus: adpetitus disiectus: Siccitas oris: sitis,* si recte constituti nerui sunt: *vigiliae*

*m*) Sensim demum sanguis, vi febris resolutus, ex sanguiferis vasis, in iisdem si haesitabat, in serosa, exque iis in lymphatica propellitur, anxietates mouens, aliaue, quae mortem anteire alias solent, symptomata (§. 52.), si negotio non adeo facili permeare ea potest.

*n*) In excretoria demum penetrat. Ibi subsistens, aut exanthemata format; aut transiens ea, *euacuationes criticas* sistit, aut *crises.* Nullum denique eorum si contingat; ad glandularum vasa, molliora quidem, sicque facile dilatabilia, sen-

sim

ſim deponitur: depoſitus acrior redditur, ſicque demum, vna cum vaſis quibus continebatur reſolutus inque pus conuerſus, exitum quaerit.

## §. LVIIII.

*Etiam hactenus delineata febris medicus eſt ſui ipſius*, nam in eas dumtaxat, quae non cum fuſione copulantur, animum adieci. Deſtruunt enim, niſi ab acribus ingeſtis, aut ab irritatione tantum, a contentis ventriculi tracta atque profecta, ceperunt originem, fontem vnde promanarunt, atque, vt cum SYDENHAMO loquar, Viro in medicina facienda conſpicuo, dignoque cuius vigeat in omnium ore ac mente ſententia, naturam incitant, vt materiae morbificae exterminationem in aegri ſalutem omni ope moliatur. Medicum ergo obſeruantem tantum deſiderant dirigentemque: *non contraria contrariis curantem:* non omni, qua fieri poteſt, opera eas, et prouentum exinde calorem, acidis, ſulphureis, nitroſis, terreis citratis, potulentorum redundantia, refraenantem deprimentemque. Eo enim modo ſi procedit, vel mortem ſaepius; vel ſaeua ſymptomata numquam, ſi medelam iuſtam admouiſſet acceſſura, prouocat; vel in diurnas febres conuertit; vel alium morbum inducit. Et mortem quidem, ſi reſolutioni ſanguinis impedimenta intulit adeo, vt partes ad eiiciendum ineptae viribus fractis obſtructiones letales progenerent. Et ſaeua ſymptomata, anxietates puta, deliria, conuulſiones, ſi, reſolutioni acriter obſiſtendo, obſtructionibus et emanantibus exinde irritationibus auctaeque cordi arteriisque obiectae reſiſtentiae, fomitem ſuppeditauit. Et longas febres,

ſi

ſi ob retardatam reſolutionem, viresque, temporis longitudine disiectas, nec cito criſes, nec criticae euacuationes, nec exanthematum eruptiones, ſufficientes ſaltim, euenire, poſſunt Et alium denique morbum, ſi in parte quadam interpellatam propter reſolutionem, viſcidae partes ſenſim congeruntur.

## §. LX.

Ita res, quae nec omnino procliues, aut faciles habet explicatus, continuarum puta fiendi modus, non incommode, opinor, a me expoſitus cenſeri poteſt. Et quoniam quae de eo praecipua cognituque digna ſunt, perſequutus ſum omnia, de genuina febres continuas curandi ratione ſatis mihi videor dixiſſe, ſi adfirmem: *agas cum febre, et febrim curabis.* Ergo

*a*) Febrim non extinguas, ſed ſopitam foueas augeasque:

*b*) nimii aeſtus prouentum, remotiores febris cauſſas remouendo, impedias: effectum vero minime ſuffoces:

*c*) acrimoniae alcalicae, ſi ſymptomata id deſiderant, prudenter cumulum addas, neutiquam vero in ea depellenda quouis modo occuperis;

*d*) vires mouentes, res circumſtantes ſi ferant, vel poſtulent, exaggeres, minuas: reſiſtentes nimium caute frangas;

*e*) principio obſtes. Ita enim efficies vt febris

α) hoc erepto, vel non, vt decet, in vſum vocato, in mortem, vel alium in morbum, tranſitura, non mortifera cuadat, nec alium in morbum conuertatur:

β) grauiſſima alias ſubſequutura mitiorem naturam induat:

γ) progerminare conans funditus quandoque exſtirpetur.

---

ADDENDUM.

P. 9. lin. 15. leg. poſito ergo calore corporis praeter naturam adaucto, pro *poſito ergo calore corporis adaucto.*

NOBI-

NOBILISSIMO

# DOMINO DOCTORANDO

*S. P.*

# PRAESES.

*Elegantiam doctrinae ac morum hactenus sectatus cum laude jam honoribus doctoralibus ornatus ac votis omnium bonorum cumulatus domum reverteris. Et hoc est, quod tibi animitus gratulor diuinam benedictionem et successus quosque prosperos constanter expectaturo. Vale. Ienae die 29 Aug. 1760.*

# CLARISSIMO
# DENCKERO
## FAVTORI ATQVE AMICO
*S. P. D.*
## IOANNES DAVIDES GRAV.
PHIL. ET MED. D.

*Olim civium TVORVM quidam, CLARISSIME DENCKER, febre corripiebatur ſanguinea. Per aliquot dies medico ſine leuamine vſus, me in auxilium vocabat, Medicamine bis adhibito, capitis inſignes, quibus vrgebatur, dolores euanescebant. Iam fauces in tumorem attollebantur, atque ita, vt aegre ingerere potulenta poſſet. Tumorem illum breui poſt, ſine vllo medicamine externo, in fugam verſum, narium larga excipiebat haemorrhagia, quam ſanitatis in integrum ſubſequuturam eſſe inſtaurationem, ſtatim praedicebam. Sequutum eſt illud. Tribus vero commiſſis diaetae erroribus, quorum vnus inſignis erat maxime, febris iterabat, ſudore profuſo paullo poſt ceſſans. Tunc per quatuordecim, et quod excurrit, dies, ſanitate fruebatur in integrum, et adeo quidem reſtituta, vt ſe numquam ita valuiſſe publice laetus confiteretur. Haec non TV modo memoria tenes, CLARISSIME DENCKER, ſed et omnes, qui tum aderant, ciues TVI. Poſtea vna cum reliquis ciuibus ſuos viſendi cauſſa rediit, quamquam, ob tempeſtatem minus ſerenam, ſuſcipiendum hoc iter diſſuaderem. Parum de ſe ſollicitus, ſub itinere vitium diaetae inſigne de novo ſuſcepit, (ad TE, ad reliquos prouoco) quo facto, in patriam redux, aliquot dierum decurſu denuo febris acceſſit. Medicus rogatus, omnem huius morbi culpam in me eſſe coniiciendam non dubitauit, purpuram a me non rite expulſam, neſcio quo fato, accuſans, Hinc, vt eam expellat; ♎ C. C. largiter inſtillauit. Moto delirio graviſſimo aliisque ſymptomatibus; nono die corporis admiſtione aeger ſoluebatur, id*

*quod*

*quod itidem in me esse transferendum audacter adseruit, adsertionis huius, a morte phthysi obiecti, vitam ibidem tegentis, qui sanitatis recuperandae caussa se mihi, in curando eo morbo aliquam famam nacto, commiserat, aculeum petens.*

*Audias Vir Experientissime, et discas:*

a) *quod febris purpuracea nec haemorrhagia narium, nec sudore profuso, terminetur: et si hoc TE non fugit:*

b) *quod medici prudentis sit naturam et eventum morbi praegressi familiarem sibi reddere, ne purpuram, ex cerebro progenitam, ex corpore aegroti furca expellere nitatur:*

c) *quod malignitatis vinculis irretiti hominis ea sit conditio, vt suos errores in alium coniiciendo: haud inculpandi famae aliquid detrahendo, propriam sibi fortunam fingat.*

d) *quod, si TIBI, aut aliis Viris longe Celeberrimis, antequam ad extrema ventum esset, remouendae phthyseos inhaesisset vis atque potestas; meum implorare auxilium superfluum certe fuisset.*

*TIBI vero, CLARISSIME DENCKER, de summis in medicina honoribus, nec minus de eruditionis specimine TVO ex animo gratulari, mihi sane nihil videtur euenire potuisse gratius. Adnuat Effector mortalium submisse venerandus consiliis TVIS, vt in ipsius gloriam, aegrorum salutem, TVORVM laetitiam, TVAMque famam cedant vberrimam. Vale, mihique vt adsoles faue.*

---

# DENCKERO
## AMICO VETERI
*S. P. D.*
## B. T. COTTA
SAXO-BVDISSENSIS MEDVS OPPONENS.

*Tandem et TIBI amicissime DENCKER: TIBI, quem non amaui: dilexi, de honoribus in medicina summis obtinendis gratulari, in-*

*que iis aliquid adferre auxilii, temporis punctum accessit. Accessit mihi: accessit omnibus, arctioribus amicitia vinculis TE cum conglutinatis, ad voluptatem eamque maximam: Accessit mihi: accessit iis, qui TE abeuntem vere amant, ad moestum profundissimum. Viuas amicorum amice, aegrotis solatio: Viuas TVIS gaudio: Viuas TIBI laetitia: Vivas mihi vetustate amicitiae tecum coniuncto amicitia. Viuas diu voti TVI omni ex parte compos vereque beatus.*

---

NOBILISSIMO NEC NON DOCTISSIMO

# D O M I N O

# MEDICINAE DOCTORANDO

DIGNISSIMO

*S. D. P.*

## I. M. HIECKE,

*Medicinae Ddus Opponens.*

*Quid iucundius, quid magis exoptatum mihi vnquam contingere potuisset, quam suavis illa occasio, qua, quanti TE faciam, publice iam demonstrare possum. Ex intimo animi affectu summos TIBI in medica scientia honores gratulor, quibus, vt doctrinae ac virtutum praemiis, TE boni omnes rite ornatum suspicient; Simulque gratissimum TIBI declaro animum, quod publicum TE cum instituendi colloquium, copiam mihi benigne feceris. Si quid est, quod a Numine clementissimo efflagitem, in eo residet, vt per continuam annorum seriem TE saluum et sospitem conservet, et TVIS*

*prae-*

*praeclaris conatibus benigniter adnuat, ſic, vt quam TIBI laboris elegiſti laudandam omnino metam, illam grata vbivis vice adſequeris. Ceterum vt me favore et beneuolentia Tua in poſterum quoque dignari pergas, humaniſſime rogo, ardenter obſecro. Dab. Ien. die XXVIIII. Aug. M D CC LX.*

---

# VIRO
## NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
# MEDICINAE CANDIDATO
## LONGE DIGNISSIMO

*S. P. D.*

I. E. HAMBERGERVS MED. CVLT.

*Opponens.*

*Non poſſum, quin TIBI magnopere gratuler hunc diem, quo merito diligentiae ac induſtriae TVAE praemia TIBI tribuuntur. Vehementer me iuvat atque delectat, quod eruditionis ac humanitatis TVAE teſtem eſſe mihi licet inter alios, qui TEcum publice diſputabunt. Fungar partibus mihi demandatis, et quidem eum in finem, vt mentem meam TIBI deditiſſimam declarare poſſim. Quanta in rebus doctis ſit cognitio TVA, omnibus notum eſt, qui TE penitius inſpexerunt, ac videt vnusquisque, TE patriae TVAE ciuem fore exoptatiſſimum. Quapropter et TIBI et ciuitati TVAE ex animo gratulor. Caeterum TIBI perſuadeas velim, me quidquid proſperi accidere mortalibus poteſt, TIBI vehementer comprecari. Valeas mihique fauere perge. Dabam Ienae die XXVIIII. Auguſt. M D CC LX.*

NOBILISSIMO NEC NON DOCTISSIMO

# MEDICINAE DOCTORANDO

LONGE DIGNISSIMO

*S. P. D.*

AVG. FRIED. CHRISTIAN. CHEMNITIVS.

*Opponens.*

*De singulari TVA, VIR Doctissime, in me benevolentia TVOque fauore, quo me huc vsque prosecutus es, de novo mihi persuades occasione, qua opponentis spartam in me conferre haud dubitasti. Laetitia quasi perfusus optatissimam hancce amplector occasionem, et non possum non quin TIBI gaudium meum, quod hac ex re capio, publice significem. Specimen eruditionis TVAE eximiae edidisti, quod de incredibili TVA diligentia, qua studiis TE semper consecrasti, atque artis Medicae cognitione indubitatum exhibet indicium. Quantum honori TVO ex animo atque summa voluntate faueam, quantoque ex ea re gaudio adficior, neque meo neque alius cuiusdam ore exprimi potest. Iisdem enim causis, quae plerosque admirabili cumularunt voluptate, adducor, vt insignem ex honore TVO percipiam laetitiam. Meum non est, vt laudibus multis TE efferrem, quippe quia laudes, quas iure mereris, ex doctissima TVA dissertatione, quam eruditorum subiicis examini, quilibet mensurari poterit. Vt igitur officio meo satisfaciam, de honore summo ex animo TIBI gratulor, ad quem capessendum aditus TIBI patet. Gratulor patriae de VIRO in republica eruditissimo. Sis aegrotis tutissimum auxilium, parentibus solamen atque amicis TVIS voluptas. Caeterum opto atque precor a Deo immortali, vt abeas in patriam laetus ac felix, atque vitam agas in perpetua voluptate TVORVMque gaudium, nec vlla vnquam occasio veniat dolendi tristandique causa. Me vero praeprimis TVA amicitia TVOque amore in posterum amplectari non dedigneris, etiam atque etiam abs TE rogo. Vale. Dabam Ienae die XXVIIII. Augusti. M D CC LX.*

*Quid*

*Quid fida de TE mens MEA cogitet*
*DENCKERE, paucis accipias velim:*
*Multos mihi vera per annos*
*Iunctus amicitia fuisti.*
*Nostras manus et corda, decus TVVM,*
*Virtus, et almus Pieridum chorus*
*Iunxere. Iam longi laboris*
*Praemia certa TVI reportas.*
*O TE beatum! quum mereas, TVA*
*Quae iam coronat tempora lauream,*
*O me beatum, laureatus*
*Si quoque me meminisse perges.*

voti loco addit

I. G. HILLNER

GERANVS, S. TH. CANDIDATVS.

---

# VIRO
## PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
# IOAN. CONRADO DENCKERO
## MEDICINAE DOCTORANDO
## DIGNISSIMO
## PROMERITOS DOCTORIS HONORES
## AVSPICATOS ESSE CVPIT
## AMICVS INTEGERRIMVS
## I. RAVE L. L. C.

*Quem ingressus es studiorum cursum hodie felici successu ad finem perducis in TVI honorem, patriae commodum et amicorum gaudium. Vota hinc vndecunque sonant pro salute et incolumitate TVA. Quae vt ego quoque mea qualicunque gratulatione augeam, amicitiae ratio postulat. Opto itaque vt honores, quos hodie capessis, feliciter TIBI cedant et subinde magis magisque augeantur vtque cum incolumitate, felicitate et laetitia res TVAS agas. Vale mihique fauere pergas.*

Du eilst gelehrter Freund zur längst verdienten Ehre,
Geführt von Hygens Hand heut in ihr Heiligthum;
Wo Du den Sieg erhälst, in Methridinens Lehre:
Und Dir Dein Fleiß verspricht, den Dir erkämpften, Ruhm.
So gehe denn vergnügt, zu dem beglückten Streite,
Der Dir den Lorbeer schenkt, so Deinen Scheitel krönt.
Beglück' das Vaterland mit Deiner Weisheit Schätzen;
Zieh hin, zur Norden-Stadt, wo man nach Dir sich sehnt;
Was ihr Morbone raubt, das muß Dein Fleiß ersetzen.

Dieses schrieb
sich dem geneigten Andenken des
Hochedlen und Hochgelahrten
Herrn Doctorands
zu empfehlen
Dessen ergebenster Freund und Diener
J. M. Röse
aus Nordhausen d. G. G. B.

---

# VIRO
## NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
## IOANNI CONRADO DENCKER
## MEDICINAE DOCTORANDO
*S. P. D.*
## I. H. W. LEMCKE. L. L. C.

*Vinculum intimae certae amicitiae arctissimum, quod inter nos intercessit, neminem fugere arbitror. Qui igitur fieri potuit, quin diem, quo omnes tuam admirabuntur diligentiam, silentio praetermitterem. Explebo potius amici haud fucati officia. De honore itaque, quem hoc iucundissima die accipies, ex animo gratulor, Deum simul opsimum maximum, oro atque obtestor, vt crescenti gloriae TVAE faueat, TIBIque omne, quod in mortales cadere potest, genus felicitatis impertiatur. Caeterum TVO me favori et amicitiae commendo. D. Ienae die XXVIIII. August. MDCCLX.*